



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Svcqv̄et E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ**

**Sucquet, Antoine**

**Antverpiae, 1630**

Caput 38. de confidentia in Deo

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54856)

## CAPVT XXXVIII.

*Meditatio de Confidentiâ in Deo, & diffidentiâ sui in omni oratione exercendâ.*

*Homo nihil potest sine gratiâ Dei.*

**C**OMPOSITIO LOCI. ut in imagine. PETITIO huius virtutis.

*Ioan. 6.*

*Cant. 1.*

*Homo velut infans. Vide P. Puëte medit. 50. parte 6.*

*1. Cor. 12. Matth. 18.*

*Luca 18.*

*Commistero se & resignare Deo quique debet.*

**PVNCTVM I.** Considera hominem ita infirmum esse, ut quamvis videat meliora & probet, tamen ea, sive quòd mundi amore & naturæ pondere, sive quòd à dæmone peccati vinculis retineatur, nisi gratiâ Dei opitulante, sequi non possit. Nemo enim potest venire ad **JESVM**, nisi per illum attractus fuerit. Quod sponsa expressit clamans: Trahe me post te, curramque in odorem unguentorum tuorum: diffide ergo tibi, Deoque confide. *Haccine vera*, ut sup. pag. 7. Considera **Secundò**, hominem velut infantem esse, hostibus cinctum, eorumque injuriis expositum: ut enim ille se tueri nequit, neque si sorduerit, mundare, aut lapsus erigere, aut jam erectus nisi alterius ope consistere; si fames aut sitis urgeat, nec cibum quærere, & (quod omnium miserimum) nullius in his opem flagitare potest: ita homo non est sufficiens aliquid ex se tamquam ex se facere, nec dicere, **JESV**; nisi in Spiritu sancto. Ecce quàm rectè monet nos Dominus: Nisi facti fueritis sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. Solus enim qui se talem cognoscit & æstimat, ad Dominum accedit dicentem: Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum. *Aspira*, ut sup. pag. 8. *Haccine firmâ*. **Tertio**, considera quàm sit huiusmodi infans resignatus, & parùm sollicitus, quoad victum, vestitum & habitationem; nihil enim eorum cogitat, sed aliis omnem sui curam securus committit: hunc imitari statue, ac divinæ pietati omnia committe. **Quarto**, quomodo Dominus instar suavissimæ matris omnibus his infantilibus incommodis amantissimè succurrat, ut meritiò per **Isaiam**

Isaiam dicat: Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego *Isaia 66.*  
 consolabor vos, & ad ubera portabimini, & super ge- *Deus instat*  
 nua blandientur vobis, Ecce ego declinabo in vos flu- *matris.*  
 vium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam;  
 & Numquid potest mulier oblivisci infantem suum,  
 ut non misereatur filio uteri sui? & si illa oblita fuerit,  
 ego tamen non obliviscar tui: ecce in manibus meis de-  
 scripsi te. *Credo tibi, ut su. p. 7.*

PUNCTUM II. Considera animo quieto omnia quæ *vid. Lud.*  
 hic vides in universo, & à Deo habere quòd sint, quòd *de Puente 6.*  
 conferentur, & operentur, ex ipso & per ipsum & in *p. med. 52.*  
 ipso nos vivere, moveri & esse, ut Apostolus loquitur: *Act. 17.*  
 in quo ergo potes confidere & quid tibi tribuere? Se-  
 cundò attende, fide certissimum esse, nos nihil absque  
 Deo ejusque gratia singulari posse ad salutem operari,  
 juxta illud: Sine me nihil potestis facere; sed omnia il- *Ioan. 15.*  
 lum operari in omnibus, tribuereque singulis prout  
 vult. Credis hæc & confidis in virtute tuâ? Considera  
 Tertio, quantopere displiceat Domino, hominem in *Jerem. 17.*  
 se, vel in alio quàm in ejus bonitate spem collocare.  
 Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit  
 carnem brachium suum; erit enim quasi myricæ in de- *Prov. 12.*  
 serto, & non videbit cum venerit bonum; & qui confi-  
 dit in cogitationibus suis, nihil agit. *Credo tibi, ut supra*  
 pag. 7. Quartò, deseri à Deo omnes, qui sibi fidunt; uti  
 Goliath à David in nomine Domini superatus; Nabu-  
 chodonosor velut bestia factus. quare Propheta Ama-  
 sias sic monuit: O Rex, si putas in robore exercitus  
 bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus  
 tuis: Dei quippe est adjuvare, & in fugam convette-  
 re. Experti id Israëlita numerosi, victique à Benjami-  
 nitis paucis, quia, ait Scriptura, Filii Israël & fortitu- *Judic. 20.*  
 dine & numero confidentes aciem direxerunt. Cen-  
 set omnino Basilius, neminem superari à tentatione *Basilius.*  
 ullâ, nisi sibi plus æquo fidentem. Richardus verò, *Richardus.*  
 Impossibile est hominem de se ipso triumphare, qui

non experimento didicerit propriâ virtute se non posse obtinere triumphum ; & tentationes solere Dominum tamdiu immittere , donec id planè intelligat.

*Hæcine vera, &c. ut suprâ pag. 7.*

*Spes à malis  
omnibus li-  
berat.  
Psalm. 49.  
Num. 20.  
Matth. 14.*

PUNCTVM III. Considera quomodo in Deo confidentia hominem ab omnibus malis liberet. Invoça me, ait, in die tribulationis, etiam te, & honorificabis me ; & rursus vel parùm Deo diffidere, gravia mala creet, quocirca Moyses hæsitans ad aquas contradictionis exclusus est terrâ promissionis, & Petrus in mari mergi cœpit, qui antè Deo confidens undam calcabat. Secundò, causam hujus exquire, & reperies quòd homo Deo diffidens plus sibi fidere videatur, quasi aut bonitas infinita nolit, aut potentia immensâ non possit erucere, aut quod desiderat præstare, aut alius possit ipso renuente. Tertiò considera, quanto amore Dominus ducem se offerat volenti viam salutis inire : Ego sum, ait, via, veritas & vita : non tantùm ut viam ostendat ; sed etiam ut portet bonus & optimus Pastor oviculam errantem & debilem in humeris suis, & non sequar, & illudam tibi ? ô bonitas ! ô immensâ charitas ! cum tu id velis & ego possim ? Quartò, expende Dominum, quantumvis ab homine plurimis peccatis provocatus sit, mox ut ad se sequendum venerit, non recordari præteritorum : sed, ut in filio prodigo demonstravit, illum amplecti, & solari, & induere stolâ primâ, &c. Postremò apparet JESVS semper vultui Patris in cælo, ut pro nobis intercedat optimus advocatus, qui numquam non exauditur pro reverentiâ suâ, pro nobis, si nos oves audiamus vocem illius.

*JESVS nos  
invitat ad  
sequelam a-  
mansissimè.*

*Hebr. 5.*

Exercitium brevius.

**P**ROTECTOR noster, aspice Deus, & esto firmamentum & refugium meum, etenim credo tibi Domine, & in te spero, & toto corde te diligo. Deus meus ne elongeris à me, Deus meus, in auxilium meum respice, & me emptum sanguine tuo stantem in lubrico,

lubrico, undique laqueis & foveis anima mea cinctum trahere in funiculis charitatis tuæ. O quis dabit mihi pennas sicut columba, ut volem & non deficiam? ut sequar sis N. te pastorem meum gratiâ tuâ, & adheream tibi toto corde meo! Tibi, ô JESU, derelictus est hic pauper; orphano mihi, queso, Pater misericordiarum, sine quo nihil possum, esto mihi adiutor: Tu enim es Deus meus, spes mea unica, adiutor meus, protector meus, cornu salutis mea, & susceptor meus, Amen.

## Exercitium longius.

VOCAS me, Domine, ut sequar te, & amantissimè vocas, non signo tantùm, non commotione, non sibilo aure tenuis, sed vocas clamore valido exempli tui, lacrymarum tuarum & sanguinis tui, sic me me servum vocas; etiam invitatus chirographo, non mortis, sed vitæ, quo promittis æterna, si sequar; an credo? O quàm fortiter, quàm amanter trahit verbum tuum, lacryma & sanguis tuus, & cor tuum loquitur ad cor meum. Et quomodo factum non est, sicut cera liquefcens in medio ventris mei, & à voce hac tuâ contremuerunt labia mea? nõnne gloria magna est, sic N. sequi Dominum suum? Sed cheu Deus meus! infelix verè homo ego sum, quis me liberabit de corpore mortis huius? quod aggravat animam meam, ne te sequar & consequar omne bonum. Condelector quidem legi tuæ secundùm interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis mea, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Ecce non quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago. Volo sequi te quocumque ieris, & currere in viâ mandatorum tuorum, & virtutes tuas imitari.

Sed qui l retinet me? Ecce N. N. nuga nugarum, vanitas mundi huius, & corpus hoc quod corrumpitur aggravat animam, & terrena habitatio deprimit sensum, multa cogitantem & volentem ascendere ad te; vide, obsecro, Domine, afflictionem meam, vide ut multiplicati sunt qui tribulant me, ut multi insurgant adversum me. Circumdederunt me sicut apes, exarsunt sicut ignis in spinis: sed nõnne in nomine tuo ulciscar in

Psalm. 91.

Vocatio divina.

Rom. 7.

Rom. 7.

Confessio miseriæ suæ.

Sap. 91.

Psalm. 5.

Psalm. 117.

- eis? impulsus eversus sum ut caderem, sed tu Domine suscipe me.*
- Act. 17. *Quaenam creatura non revolveretur in nihilum absque te, in quo omnia vivunt, moventur, & sunt? Qui homo fragilis & debilis stare posset absque te in lubrico vita huius? Obsecro te, spes mea, non veniat mihi, non veniat, quia stare eò non possem, pes ille superbia, ut confidam in virtute meâ: certus enim sum, quia nihil sum, nihil scio, nihil possum absque te, in mediis positus hostibus, in mediis fluctibus, & arumnis. Omnia tu in nobis operaris, Domine, hoc scio, & non in arcu meo sperabo, & gladius meus non salvabit me; sed dextera tua fecit virtutem, dextera Domini exaltabit me, dextera Domini faciet virtutem. Fortitudo & laus mea tu es, & factus es mihi in salutem. In te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum.*
- In Deo est fidendum. *Tu solus præcinges me in virtute, & pones immaculatam viam meam, & perficies pedes meos tanquam cervorum, & super excelsa statues me, docebis manus meas ad prælium, & pones ut areum areum brachia mea. Ego autem persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar donec deficiant, confringam illos, & non poterunt stare, cadent subtus pedes meos. Benedictus Dominus qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Iste Deus meus, Salvator meus, adiutor meus non emigrabo. Iste liberabit me de laqueo venantium, & à verbo aspero. quomodo enim oblivisci mei potes, quem in manibus tuis descripsisti? Non potes, & si mulier obliviscatur infantis uteri sui. In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis; salvasti enim de affligentibus me, & odientes nos confundisti. O Domine, ô Domine, saluum me fac salus mea, etenim tu scis, quia puer sum ego, nesciens introitum & exitum meum.*
- I Cor. 11.  
Psalm. 43.  
Psalm. 114.  
Psalm. 17.  
Psalm. 143.  
Isaia 66.  
Psalm. 43.  
Applicatio ad Communionem.
- Confitebor tibi, quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem; Deus meus es, & exaltabo te. Venite & audite omnes qui timetis eum, & narrabo vobis, quanta fecit & faciet anima mea: quanta? immensa, infinita, incomprehensibilia, & inscrutabilia; nam & hodie verè, verè, ô anima mea magnificavit*

cavit facere nobiscum, & quare non facti sumus letantes? faciet enim pascha suum apud nos JESVS, sed Pascha faciet, & hoc est transitus Domini. O JESV, O JESV, manenobiscum Psalm. 117. Domine, quoniam advesperascit. Ecce quod hostes circumierunt me inermem & infantem: quid faciam? vel potius quid facies? sicut fuit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei, & justi epulentur & exultent in conspectu tuo, & delectentur in latitiâ, quoniam in nomine tuo, O JESV, ulciscar in eos.

Nolite, quaso, confidere in Principibus, in filiis hominum, in his enim non est salus, sed in Deo JESV meo, neque enim in fortitudine suâ roboratur vir, neque in tibiis viri beneplacitum erit ei. Et maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. At verò fortitudo mea, & laus mea tu es, bone JESV, & factus es mihi in salutem. Dominus petra mea, & robur meum, & Salvator meus, Deus fortis meus, sperabo in eum; scutum meum, & cornu salutis mea, elevator meus, & refugium meum, Salvator meus, de iniquitate liberabis me, invocabo Dominum, & ab inimicis meis salvus ero. Non gloriatur sapiens in sapientiâ suâ, & non gloriatur fortis in fortitudine suâ, & non gloriatur dives in divitiis suis: sed in hoc gloriatur qui gloriatur, scire & nosse te, quia tu lucerna nostra, Domine, & tu illuminabis tenebras meas; tu Pastor meus & pastor verè bonus, qui spero nosti me, & errantem ovem reduces in humeris, tu ad pascua aeterna, tu loqueris pro me bona in conspectu patris tui, tu solus refugium, tu solus liberator meus, & auxilium meum de inimicis meis iracundis: Intuere superbiam eorum; & respice ad humilitatem nostram, & faciem Sanctorum tuorum attende, & ostende, quoniam non relinquant presumentes de te, & presumentes de se, & de virtute suâ gloriantes humilias: tibi enim derelictus est pauper. Aspice igitur, aspice qui intueris cor & omnes vias nostras. Ecce ego pauper & inops & orphanus. Suscita, suscita de pulvere egenum, & de stercore imperfectionum istarum N. eleva pauperem, ut complacant tibi in illo, ut sedeat

Jerem. 17.

2. Reg. 22.

Jerem. 9.

Psalm. 9.

Psalm. 112.

sedeat

fedeat cum Principibus, & solium gloria teneat, & te amet uti desidero, teq; laudet ac glorificet in secula seculorum. Amen.

*Praxis ad fiduciam in Deum, & diffidentiam sui, in quacumque oratione & reconciliatione.*

*Antequam quicquam incipias contritionem excita. Cassian.*

*1. Pet. 4. Omnia Deo tribue.*

*Prius à Deo quam ab homine quicquam petas.*

*Arrogantia eorum, qui aliena consilia respiciunt.*

PRIMÒ, considera quomodo plurima variis in rebus tibi male cesserint, etsi consilia optima cepisse videreris.

Secundò, nihil attenda nisi Numine propitiato & invocato, nihil enim absque Dei gratiâ possumus. Igitur priusquam incipies rem aliquam alicujus momenti, saltem contritionem exerce, & Deum invoca, dicens: *Deus in adiutorium meum intende,* Quo versu Patres olim frequenter uti solitos refert Cassianus.

Tertiò, grates Deo de successu age, adito, si fieri potest Venerabili Sacramento: neque umquam tibi aliquid tribue, sed Deo; idq; etiam verbis testare: quemadmodum enim Religiosi etiam hæc nomina *meum & tuum* vitarunt, ita etiam hæc expedit proprium sibi nihil facere, ut fiat illud: Si quis ministrat tamquam ex virtute quam administrat Deus; si quis loquitur tamquam sermones Dei, ut in omnibus honorificetur Deus.

Quartò, peculiaribus beneficiis solemnem quotannis diem pro gratiarum actione destina.

Quintò, quotidie bis in examine, aut saltem semel, gratias Deo age, & omnia bona & mala quasi de manu ejus accipe.

Sextò, prævide agenda manè, vel pridie vesperi, & pro singulis gratiam pete, magnâ cum humilitate ac tui diffidentia.

Septimò, nullum umquam beneficium ab homine pete, quin prius à Deo omnium largitore id suppliciter efflagitaris, & quasi impetraris: dispensatores enim sunt homines: Deus ipse est Dominus, sine quo illi dispensare nequeunt, etiamsi maxime velint; neque quidquam negare, cum divinæ ejus bonitati visum fuerit.

Octavò, præterea facit ad diffidentiam sui, in re propria non inniti prudentiæ suæ, sed divinæ: & præterea humiliter ab aliis consilium & auxilium poscere. Magnæ certè est argumentum arrogantia & præfidentia, si se solum quis sapere existimet, nullius consilium exquirat, aut dicis causâ tantummodo, & adhibeat qui sua collaudent consilia potius, quam dirigant. Certum verò est hominem sibi diffidentem, Deoque confidentem dum industriæ, tum prudentiæ, tum certè alterius probitati magis, quam suæ considere. Hoc in illis efficit ut resignati sunt



ti sint ad quævis iussa Superiorum, nihil detrectent, nihil ambiant cum sibi diffidant.

Nonò, est & hoc diffidentia: suæ argumentum & praxis *Modus lo-*  
numquam dicere Faciam, Feci, Promitto, seu cum asseveratio- *quendi ejus*  
ne. Id effectum dabo; sed hoc pacto, Dei gratiâ & auxilio id *qui sibi*  
faciam: Præstabo, si Dominus me dignatus fuerit juvare; & si *diffidit.*  
mul attollere cor in Deum, atque auxilium petere.

*Dignatus es, &c ut sup. pag. 10.*

IACVLATORIÆ.

**N**on nobis, Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam. Ex te Psalm. 113.  
*& in te, & pro te sunt omnia, Deus meus, & omnia.*

Adjutor meus esto, ne derelinquas me; neque despicias me, Deus salu- Psalm. 126.  
tatis meus.

Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo Altissime. Psalm. 91.

Per singulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in sacu- Psalm. 144.  
lum, & in seculum seculi.

Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua, & sancti tui benedicant Ibidem.  
tibi.

Ego autem mendiculus sum & pauper: Dominus sollicitus est mei. Psalm. 39.

Domini est salus, & super populum tuum benedictio tua. Psalm. 5.

Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar Psalm. 17.  
murum.

Conserua me, Domine, quoniam speravi in te; dixi Domino Deus Psalm. 15.  
meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.



DECIMÆSEPTIMÆ IMAGINIS  
ANNOTATIO.

Considera, & pondera virtutem cum vitio, atque utriusque naturam expende.

**V**is te magis ad **A** virtutem exstimulare? vide ut hæc **B** vitio, toti q̄ mundo præponderet. Virtus tibi pollicetur ac ostentat laudem & præmia; vitium seruitutem & pœnas (qui enim facit peccatum, seruus est peccati.) Virtus, animæ potentias sanat ac roborat; vitium sauciat triplici telo, ut sunt tria mundi mala, & perdit. Attende utriusq̄ **C** occasiones, & amplectere virtutis, fuge peccati ansas. **D** Virtus omnis, quemadmodum patet in **E** paupertate, expeditum, ut **S** Franciscum facit, & viâ rectâ te promovet ad **F** salutem: **G** vitium vero à viâ salutis abstrahit, quemadmodum **H** mundus, & ejus amor ac divitiarum ducit per vias amfractuosas, gravatq̄, ut minimum adscendentem, ac testudineum facit gradum. Quid ergo? primum illud in omni deliberatione propositum tibi habe, quem ad finem **I** creatus sis, ut q̄ ad eum sola virtus, & quæ cum virtute conjuncta sunt, te ducere, & promovere queant.